



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bibliotheca Rhetorum

In quo Causae Forenses, Liber Epistolarum, Liber Fabularum, Et
Oratiunculae

Le Jay, Gabriel François

Ingolstadij, 1726

Responsio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71049](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71049)

mel nullis avaritiæ malè suadentis rationibus vinci se permiserit, is cæteris in rebus certum se ac fidelem amicum præstabit. Neque enim in ejusmodi discrimine omnis generis causæ, quibus egentis amici vel justas preces declines facile, si nihil præter amici nomen habueris. Difficultas temporum, rei domesticæ penuria, faciendi in numerosâ familiâ sumptus, & alia bene multa statim se objiciunt, quibus commodandæ pecuniæ honesta quædam necessitas eludatur. A quibus ego sordibus cum te alienum semper æstimârim, Carissime, ita facile animum induxi meum, certum abs te in difficillimis rerum mearum adjunctis esse mihi præsidium expectandum. Imò tam amicum te novi, ut non dubitem, quin jucundius quid tibi ferre amico petenti subsidium, quàm mihi accipere futurum sit. Vide ergo quantum mutatus repente à memetipso fuerim, statim atque subiit animo de te deque tuâ benevolentia cogitare. Dolebam amissas opes, ludo malè precabar, miserum me, infelicem, perditum æstimabam: jam vix ac ne vix quidem lætandum mihi propter te putem, cui tam egregium gratificandi amico locum vel imprudens paraverim.

R E S P O N S I O.

Satyrica.

O Me felicem, qui persuasisse tibi videar, quàm sincerum in me, quàm devotum ad omnia amicum nactus fueris! Næ æquum censes, mi Fabi; neque revera quidquam est rerum omnium, quod malim, quàm ut talem esse me,

me, qualis re ipsa sum, arbitreris. Id porrò senties multò magis, cùm pecuniam ipsam, quam tantopere efflagitas, immisericorditer abnuam. Equidem intelligo id fieri sine aliquo tuo dolore primùm non posse; at non committam tamen, ut te, tanto tui dispendio, leviore molestiâ liberandum putem. Nam quid agam infelix, si gerendum in eâ re tibi morem arbitrer? Quò non prorumpet insana illa ludendi prurigo, quæ te miserum tenet ac perdit, si, dum compescere illam possum, quod amicum est, eandem missâ pecuniâ irritem & accendam magis? Hunc tu amicum æstimes, non perfidum potiùs ac proditorem, qui furioso cuiquam ensẽ petenti, quo se transverberet, illum indulgens pravè porrigat? Absit hoc à me, optime Fabi, tam malè de te ut merear. Ecce multò melius quodpiam & illustrius amoris erga te mei pignus impertiar, amicum scilicet & salubre, si quod aliud, consilium; ut, dum integrum est, perniciosum illum, qui te jam incessit, ludendi amorem corrigas. Magnum est quiddam vel in principiis præsens huic morbo afferre posse remedium, qui, si creverit semel, vix sanari deinceps, aut etiam mitigari possit. Ego certè, etsi majorem mihi ipsi facio vim, quàm tibi, tamen statui subtrahere viriliter fomenta illa, quibus crudescere malum potest & invalescere. Noli ergo expectare à me ullam pecuniæ partem, quâ funestum nutrias alexæ cacoëthes & insanabile forsitan efficias. Sed ama potiùs auream illam in amico fidem, quæ pravis amici cupiditatibus obsequendum minùs, quàm veris ipsius commodis serviendum duxerit.

Vale.

ARISTO